



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Provincia Brasilia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67132)

PROVINCIA  
BRASILIA.



**V**ERSANTVR in Brasilia de  
nostris centū circiter & quinquaginta. In Pernambucensi Collegio vndeuginti. In Bayacensi duo de septuaginta. In Collegio Fluminis Ianuarij septem & viginti. Piratininga septem. In reliquis sedibus idem qui solet numerus. In Societatem recepti sunt vndecim. mortui duo.

PERNAMBUCENSE COLLEGIVM.

**I**N Pernambucensi Collegio animorum pericula contra vim Demonis acerrime defenduntur. Tolluntur ea, quas seuit discordias: & ingens praeda de manibus quotidianis parta fraudibus extorquetur. Grauis inter duos Principes viros orta erat de Iurisdictione cōtentio, eodq. iam processerant irae, vt commune metueretur exitiū: suos enim vterque sectatores habebat, & duas in partes ciuitas vniuersa discesserat. Senatores cum otij causa omnē lapidem frustra mouissent, ad Rectorē Collegij rem deferunt, orantq. vt ciuitati iam labenti subueniat. Pater diuina fretus ope, cum in aedes nostras discor

I des

des homines conuocasset, vicit tandem, postquam  
 in concilianda pace diu multumq. sudauit, vt inspe-  
 ctante populo dextera iungerentur. Sed non satis  
 habet callidus animarum hostis, eas modo cuniculis  
 oppugnare, nisi etiam sese prodat interdum, & aper-  
 tum cum ijs bellum gerat. Nec puduit certamen cu  
 imbecillo suscipere. saepe enim se puero per visum  
 obtulit, & vt pro esta terram ederet, imperauit.  
 cum puer renueret, induebat teterrimas formas, vt  
 terroribus cogeret, quem non posset imperio. corpo-  
 re incedebat & nudo & atro: linguam exerebat  
 enormem: ostentabat deformes cruentosq. dentes:  
 manus porrigebat ad uncas ferreis cum harpagoni-  
 bus: ac deniq. qualis est, talem se puero spectandum  
 praebebat. facilis fuit ex imbecillo victoria: puer  
 enim cum diu acriter resistisset, ad extremum mi-  
 narum magnitudine territus imperata fecit, terram  
 vorauit, mortem incurrit. veruntamen quamquam  
 ignauus hostis, qui cum impari pugnam iniit, mor-  
 tem attulit corpori, animo certe non attulit, vt con-  
 fidimus: ad Collegium enim à matre deductus non  
 prius extremum spiritum edidit, quam confirmatus  
 est sacramentis. Sed quantas in fraudes hoc genus  
 hominum versutus hostis impellat, & quanta sit in  
 his locis necessitas animorum, mox id ipsum vbe-  
 rius. nunc ex hoc Collegio quae restant. Quoniam  
 igitur ea est Lusitanorum consuetudo, vt vrbibus  
 oppidisq. relictis, agros plerique finitimos, vbi Tra-  
 petum saccareorum magna vis est (quae sunt regio-  
 nis diuitiae) celebrent ac frequentent; instituit P. Vi-  
 sitor

sitator, ut quò maior animorum extet utilitas, tum  
 in hoc, tum in Bayacensi Collegio, id quod alijs si-  
 gnificatum est litteris; bini in singulis perpetuo ver-  
 sentur, qui statis anni temporibus ad ea, quæ dixi lo-  
 ca recurrant. votis respondet euentus: nam &  
 multi baptisate, & multi item confessionibus ex-  
 piantur, & qui cum pellicibus diu vixerant, matri-  
 monij societate iunguntur. Desudant in ijs Trape-  
 tibus serui tum indigeni, tum Aethiopes peregri-  
 ni, quorum saluti præter nostros non est qui con-  
 sulat. Cæptum est ad eos adiri extremo fere an-  
 no: & iam nunc duo de nostris menstruo spatio  
 centum amplius & sexaginta baptisimo lustrarunt.  
 Atque ut acrius nostrorum in animos studium in-  
 citetur, creditus est huius Collegij curæ, quod  
 vnum ex omnibus huius Prouinciæ sedibus hac  
 procuratione carebat, Indorum pagus è paganis  
 ferme nongentis: ex quibus iam quadringenti ab  
 Episcopo, sacro delibuti sunt chrismate. Cernitur  
 vehemens in ijs studium Christianam erga pieta-  
 tem; in patres autem amor & obseruantia, & mi-  
 ra Catechismi cupiditas. quare ex ijs festo Ar-  
 changelo Michaeli die baptizati sunt amplius cen-  
 tum & viginti. Ita quantum in nostris chari-  
 tas animorum, tantum eius exercendæ facultas di-  
 uinitus augetur. Missi sunt etiam duo vnà cum exer-  
 citu in Paraibam ad Indos Gallosq. magno militum  
 commodo et adiumento victoriæ. præibat eorū alter  
 inter armorū strepitum cum crucifixi signo, partim  
 militares roborās animos; partim continēs in officio.

freno erat omnibus eorū presentia . itaque nulla inter eos iurgia, nullum iusiurandū, summa erat ubiq. pax: ea vero compositio morum, vt nō versari inter milites, sed inter optimos pacatosq. ciues sibi viderentur. parta est victoria non tam humanis opibus, quā diuinis. nullū diem intermissa precatio est, non à domesticis modo, sed ne ab externis quidem: vt iam nemo miretur eos esse exitus cōsequutos, qui postea acciderunt.

## BAYACENSE COLLEGIVM.

**P**VGNATUR & in Bayacensi Collegio pro viribus, vt salus animis afferatur. In Societatem recepti sunt vndecim . Baptizati nonnenti & quinquaginta. redintegrata inter multos amicitiae & viginti amplius, qui lecto & mensa à suis coniugibus abstinebant, conciliati . Vagæ etiam errantesq. libidines matrimonij inclusæ limitibus. Mulier, quā nefarijs voluptatibus irretitam multos iam annos malus dæmon tenebat, cū ex graui periculoq. morbo vocem amisisset, nec aperire Sacerdotibus peccata posset; nutibus cum ea, sed inutiliter agebatur, dū desperata prope res, sacerdos noster de reditu cogitare cœpit; sed Rosario B. Virginis, collo morientis iniecto, statim moritura vox redijt. tum demum confessa mulier est, & concubino, quem habebat, sacro matrimonio se iunxit . Ex hoc eodem Collegio, vt supra demonstratum est, Sacerdotes duo ad vicina frequenter prædia ex mandatis institutisq. Visitatoris excurrunt.

currūt ab his plerūque ingens praeda reuehitur: vt facile ex æquo hi duo cum alijs omnibus in animorū causa contendant. Sexcentos ex eo quem proposui numero, baptizarunt; & superstitiones ex Indorum mentibus euellerunt. Alter enim iam annus agitur cum in Cōinenti proxima nouū inter Indos superstitionis genus est ortum, eò pestilentius, quò magis Christianorū ritus ac religiones exprimit. nempe vt ipsa legū similitudine, morumq. conuenientia hominibus nō sapientissimis persuadere Diabolus possit, mores nostros nihil ab eorum moribus discrepare; si quid tamen discrepant, aberrare nostros à veritate. Creant summum inter se sacrorum Antistitem, vt nos Pontificem Maximum, consecrant Episcopos & Sacerdotes. peccatorum confessiones instituunt. & quod valde mirere, vt consulant iuuētuti, Gymnasia gratis habēt exposita more institutoq. nostro. Missarum sacrificia peragunt: & è minutis globulis coronas neētunt ad preces. vtuntur pro cymbalis æreq. campano, cucurbitis. libros habent è cortice tabulisue confectos, occultis notis litterisq. distinctos, quos accipere dicuntur à Demone. putantur autem tum se perfecte adipiscendæ virtutis ac sanctitatis rationem tenere, cum ad insaniam rediguntur. ebibunt succum herbe cuiusdam, quam Indus Petima dicit, ingentium virium immoderatiq. caloris. quo potu repente concidunt seminiui, totisq. artubus contremiscunt: ora torquent obstæne, et exserta turpiter lingua, tamquam Lymphati se iactant, totoq. corpore humi se versant. labijs loquuntur

immotis intra sese, & ea signa edunt, vt non obse-  
 re conijcias, quis tantorum sit artifex motuum. vbi  
 his agitationibus quies ac defatigatio successit, tum  
 demum abluuntur aquis et sancti fiunt: et quò quies  
 horribiliora signa prodiderit, eò plus sanctitatis pro-  
 tatur adeptus. Ad hanc vel superstitionem uel amentiam  
 adiungitur illa non minus ridicula. Aiunt suos huius  
 maiores aduehēdos esse nauigio, ab usq. se è miserri-  
 ma seruitute in optata libertatis dulcedinem vindica-  
 candos: Lusitanos uero ad eorum aduentum tum de-  
 mum funditus interituros. quod si qui ex ijs sunt fu-  
 turi superstites, eos vel in pisces, vel in sues, aut si-  
 miles in bestias iri conuersum. Quibus rebus qui si-  
 dem habuerit, salus; qui secus, ferarum lanias vo-  
 lucrumq. promittitur. Alitur hic error à summo  
 illo sacrorum Antistite, quē Papam uocant. is con-  
 cionatores legat ad Indos, qui cum Lusitanis ui-  
 uunt: ab usq. superstitio latissime propagatur.  
 Quapropter omnes tum relictis Lusitanorum se-  
 dibus auolabant: compluresq. combustis domibus  
 Lusitanicis, vastatis agris, equatisq. solo Trape-  
 tibus, & multis Lusitanis crudeliter interfectis,  
 velut immanes feræ per syluas errabant. quid  
 enim parcerent Lusitanis, qui suosmet natos, ne fu-  
 ga impedimento essent, vel uiuos defodiebant hu-  
 mi, vel barbarorum ritu necabant? Nostri sedan-  
 dis his tumultibus strenuam dederunt operam, in  
 eoq. etiamnum toti sunt, vt è diaboli laqueis ani-  
 mos exuant, & cum à Lusitanorum cede, tum  
 à meditata fuga multos auertant. Videre licuit in

ea procella ex Lusitanis alios profusis lacrimis gra-  
 tias agere, alios obuiam gratulabundos exire, alios  
 deniq. quorū res nondum erat in tuto, nostros vt si-  
 bi adessent, summis precibus obsecrare. Irrepserat  
 ea quoque pestis in vnū è pagis Indicis, quos cura-  
 mus. aberat eo tempore eorū custos Pater, quorum  
 solitudini serpens insidiatus antiquus, memor quantā  
 ex nostris prædæ iacturam saepe fecisset, suo veneno  
 fere infecerat vniuersos. Quod forsitan diuina per-  
 missū est providētia, quò meliores Indi et sanctiores  
 euaderent. exere enim sese qui ceciderāt, & ex ip-  
 so casu valentiores effecti, omni nūc pietatis genere  
 ceteris antecellunt. fucum his fecerat Diabolus per  
 veneficum quendā, qui tamen ipse debitas sui scle-  
 ris poenas dedit. nam cum ab itinere, cui se cum alijs  
 multia in montes dederat, reuerteretur in pagum,  
 propiusq. ad ades suas accederet, in obscurum car-  
 cerem vinctus abripitur, inscioq. Patre ita pu-  
 gnis caestibusq. contunditur: vt nisi nostrorum mi-  
 sericordia exceptus esset, priusquam lege agere-  
 tur, inter Indorum manus miserabiliter expiras-  
 set. sed atrocius videlicet supplicium hominis pia-  
 culum flagitabat. rapitur igitur ab Indis per sum-  
 mum dedecus ad Gubernatorem: & qui paulo ante  
 sese Deum fecerat, publice per pagos trahitur, om-  
 nium irrisione ludendus. Gubernator lata sententia  
 nefarium prestigiatorum aquissimæ Indorum iræ  
 permittit: vt quorum animis attulisset exitium,  
 ab eorum ipse manibus interiret. paruerunt alacres  
 Indi, & in pagum scelere illi reducto linguam prius  
 euellunt.



euellunt, dein laqueo iniecto suspendunt. Atque hac animaduersionis seueritate cauendum Gubernator existimauit, ne periculosa imitatio exempli reliquis in posterum proderetur.

ILHEORVM RESIDENTIA ET  
alix quædam.

**M**AXIMA in his sedibus seges est, sed mensis labor incredibilis. Sane qui de nostris in Portus Securi, et S. Vincentij Præfecturis agunt, ij diei pondus & æstus sustinent. his enim frequentius traiciendi sunt fluuij: his vado natandoq. transmittendæ paludes: his hostium declinanda crudelitas, ex quibus plerumque nisi diuinitus non euadunt. Sed tam hæc aspera, magnitudine diuinæ dulcedinis obruuntur; vt tum triumphare gaudio animus videatur, cum tale aliquid Dei causa superauit.

Erat in Ilheorum Præfectura præter ceteros Ethnicus quidam veneficus insignis, cui maxima fides à reliquis habebatur. hunc nostri, quoniam non minimo impedimento erat Euangelicæ promulgationi, sæpius aggressi, conati sunt ad veritatem ab errore traducere: sed cum res ille nostras ludibrio haberet, diuino consilio, tentari cæptus est morbo: in quo cum viseretur à nostris, monereturq. si bene sibi consultum vellet, verum vt Deum, & quem misisset IESVM Christum agnosceret; omnem illam orationem admisit inuitus, sed tamen admisit. cum autem resistere diutius diuinæ voci non posset, subito conuersus ad Patrem, Volo, inquit, Pater, esse  
Christi

Christianus, & sacro fonte renasci. atque ut intelligas, serio me atque ex animo loqui, tuisq. verbis fidem adiungere; scito mihi à Deo valetudinem reddā tam. confestimq. surgens incolumis, qui ægre iacebat in lecto, templū suis ipse pedibus petit, & una cum coniuge baptizatur: mox tanto ardore concionem habuit, ut Indis eſet Luſitanisq. miraculo.

In Præfectura Sæcti Spiritus quotquot verſantur è noſtris, verſantur autem non plus octo, omnes ob cali gravitatem gravis morbus inuaſit. nemo præter unum Emanuelem à Payua Sacerdotem eximium deſideratus eſt, quem matura iam mors ad præmiū ſuæ virtutis & ſui laboris admisit. laboravit enim in hoc colendo nouali annos duodequadraginta, & quamdiu in Societate vixit, vixit autem vno plus anno, duas minimum horas ſingulis diebus in cæleſtiū rerū meditatione conſumpſit. Erat ad Superioris obſequiū, ut cæcus ad pueri ductū: adeo ſe totum ad eius voluntatē nutumq. conuerſerat. & in ſumma prudentia, mira ſimplicitas elucebat; ut non mirum ſi qui tot uirtutibus erat ornatus, ei Deus horam ſui obitus declarāſſe uideatur. nam cum in morbo ex graui ſymptomate reuiuiceret, candelamq. ut ſolet, ſibi uideret admotam, Extinguite, inquit lucē iſtā, & ad ſecundā poſt meridiē adeſtote. vaticiniū exitus comprobauit: eadem quippe hora in patriam ſuam animus è custodia corporis euolauit. Sunt in his locis Indorum Neophytorum pagi duo noſtrorum fidei curæq. commiſſi, quos mirifice Viſitatoris recreauit aduentus. tum primum ad cæleſtem Eucharistiæ

charistia mensam Neophyti quadraginta admissi sunt, tanta ipsorum voluptate, vt nec ipsi tenere la crimas præ dulcedine possent, & nostros externosq. Lusitanos, qui eò frequētes affluerant, in eundem fletum adducerent. redduntur quotidie diuinis epulis fortiores, vt iam fateantur aperte, Demonis se impetus præ se contemnere, & quibus rebus facile succumbebant, eas nunc pro nihilo ducere. facilius etiam patrijs ritibus ac superstitionibus abstinent: cumq. ad ebrietatem sint natura proclines, vinū ne attingunt quidem. Adolescens summo splendore generis inter Indos, vini abstinentissimus, & virginitatis studiosus in primis (quæ duo inter hos homines si quando reperiuntur, pro miraculo habentur) cum ex continenti, vt Christianorum ritus religionesq. cognosceret, aduenisset; earum captus amore, Christi miles efficitur. is graui morbo oppressus, nullius vel familiaris sermones, ne pios quidem ac comodos, priusquam delicta cōfiteretur, admisit. quāquā autē ex quo se ad Christum adiunxit, præcipuo quodam ardore sacrosancta Eucharistia mysteria semper coluit, numquā tamen maiore, quam supremo vitæ die, cum accepto salutari viatico, Delectabat, inquit, hæc antea me vita, nunc autem postquā Christus suo corpore me famelicum pavit, cur morror in terris? aut quid causæ est, cur non his vinculis expeditus cum Christo feror in celum? atque in his verbis è custodia vinculisq. corporis missus est. Præter eos, quos dixi, pagos, sunt alij sex tum ad Austrū, tum ad Aquilonem, ab hoc disuncti oppido passuum

passuum millia viginti: quos item nostri frequenter inspiciunt, plurimosq. ex Ethnicis rite abluunt, praesertim quos vel grauis morbus, vel matura iam senectus extinguit. Ac ne plures Christo dent nomina, sacerdotum facit inopia. Hac in hac Praefectura geruntur, vbi diuina fauente clementia maiora sperantur in dies: egit enim cum Ducibus & Gubernatoribus Visitator de rebus, quae vel ad confirmandos Christianos, vel ad congregandos ad Ecclesiam Ethnicos pertinent, multaq. ab ijs impetrata sunt, quae è re tum Lusitanica tum Indica sunt futura.

## COLLEGIUM FLUMINIS

Ianuarij, sedesq. reliquæ.

**I**N Collegio Fluminis Ianuarij ad animarum causam nemo non ardentè accedit, nec tam huic oppido, quam reliquæ viciniae consulitur. Luunt rite peccata ciuium fere sex millia. sumunt Domini corpus ad duo millia: quorum mysteriorum usu plurima in animis bona gignuntur. Excursiones quoque consuetæ multis fuere salutis: paucis enim diebus duorum laboribus Patrum quingenti in gratiam et amicitiam Dei restituti sunt. At que in agresti hominum genere is reperitur interdum candor, vt constet eos à Deo mirabiliter in rebus asperis recreari. Serua quadam cum tertium iam diem acerbis in parturiendo doloribus vrgeretur, propter salutis desperationem, deseruatur ab heris, sed non deseruit illam, quae derelictis solet occurrere. dicitur periclitanti grauis astitisse

astitisse matrona, quæ cum parturientem comites salutasset, iussisse fætum edere, & ad eius nutum nullo dolore ac nisu subito peperisse: ubi autem proles apparuit, subito matrona ipsa euanuisse: ut intelligi posset, nullã aliam parturientis imperasse doloribus, nisi quæ quondam ipsa in suo partu nihil suscepit maculæ nec doloris. Mitto & quot hic baptisimi fonte nostri lustrarunt: quando certus numerus non nuntiatur: & quam multos inter discordes concordiam conglutinarunt; quando hæ gratiarum compositiones quotidiana iam sunt, quamquam illa pretereunda silentio non uidetur. Indi proxima Continentis cum propter iniurias ultro citroque illatas, Lusitanis maxime dissident, et atrox belli tempestas instaret, senatores à Rectore Collegij postularunt, ut de nostris aliquem ad se mitteret, mittitur sacerdos magnæ apud Indos auctoritatis una cū comite, et pacem, Deo adiuuante, conciliat: deinde sexcentos ex Indorum numero in pagum, cui nostri præsent, unã deducit, illustre æque atque arduum & perdifficile facinus, quodq. magnis ei laboribus ac periculis stetit. propius enim factum est nihil, quam in potestatem hostium uenerit, summo uitæ discrimine, ea autem in itinere incommoda pertulit, quæ consequi oratione uix queas. accidit per eos dies infinita uis pluuia, cum imber imbri sine intermissione succederet: ut piscium more degendum uideretur in aquis, nam et per aquas diurnum fiebat iter, et super subitusq. aquam nocturna quies capiebatur. Fuerunt & paludes præaltæ uel nando uel uado ad guttur usque

usque traſcienda. & quod labores cumulauit omnes, aberratum in reditu à via est: totos enim viginti dies ignari ambo viarum, velut ferae per vastas syluas fame sitiq. prope enecti peruagati sunt; dum desperatos & pene mortuos, patrem præcipue, qui diebus ipsis quadraginta magnam vim sanguinis vomuit, domum denique bonitas diuina reduxit. Sed nimirum has cruces non possunt effugere, quibus nihil iam præter animas dulce est. nec vero tam suavis esset hæc præda, nisi his sudoribus condiretur. Sentiant, quos animarum charitas paulo vehementius incendit, quantum voluptatis in his laboribus lateat: vt ea vna fratres nostros è domestico otio in peregrinum solem prodire cogat; & tectorum quiete contempta, in omnem exigat seu terrestrem, seu maritimam oram.

In Saucti Vincentij residentia cum sedes nostras P. Visitator in aliud oppidum, vbi commodior habitatio foret, transferendas putasset; oppidani domos dederunt optimas, & ad rationes nostras accommodatas constituitq. vt in altero Indorum pago duo è Piratiningensibus residerent, quò facilius Indorum saluti vacarent. Quattuor autem in hac Australis Prouinciæ plaga sunt oppida, quorum incolæ omnes tam Indi, quam Lusitani ad eluendos rite animos, nostros adhibent. Sed iam Brasiliam relinquamus, et ad Hispaniam conuertamur.